



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118278**

§. 39. Imperatoria sanctio pro Clero.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

piscopos quoque Suffraganeos vestros mon-  
nebitis, ut obnoxii sibi Cleri moribus pa-  
ri modo invigilent.

Sæcul. XIV.  
A.C. 1359.

## §. XXXIX.

*Imperatoria sanctio pro Clero.*

Carolus ex parte sua pro conservandis  
Ecclesiæ juribus sanctionem edidit  
sequentem: Ut Moguntiaë, Coloniaë, ac  
Magdeburgi Collegia Metropolitana no-  
bis conquesta sunt: quidam Duces, Co-  
mites, Barones, alique Domini profani,  
nonnulli Consules, ac Rectores urbium &  
oppidorum contra Clerum ac ejus jura,  
libertatem & privilegia fecerunt decreta,  
edictaque; exempli gratia, ne bona pro-  
fana transferrentur in potestatem Eccle-  
siæ; ne Clerici majores nacti Ordines  
admitterentur ad poscendum dicendum-  
ve testimonium in rebus civilibus, præ-  
sertim in causis piis; atque ne laici sa-  
cra detestatione devincti ac denunciati a  
foro profano arcerentur. Præterea hi  
Domini, & hi Magistratus occupant de-  
tinentque Clericorum bona; diminuunt,  
& constringunt dona Christianorum; ex-  
torquent tributa, & alias pensiones de  
bonis ecclesiasticis; diripiunt, & incen-  
dunt domos, ac prædia; recusant in acta  
referre, ac sigillo munire pactiones legi-  
timas Clericos inter laicosque conflatas;

Gold. constit.  
to. 2. p. 92.

Sæcul. XIV.  
A. C. 1359.

invadunt donata legataque ad sstructuras; & in cœmeteria templaque profugos inde abstrahunt. Quocirca præscripta illa omnia rescindimus: eaque revocare, ac supprimere jubemus cunctos harum provinciarum Magistratus & Dominos, alioquin ex Imperio pellendos in exilium. Statuimus etiam, ut quisquis Sacerdotem aut Clericum ad pugnam provocarit, comprehenderit, aut detinuerit in carcere, spoliarit, occiderit, vel mutilaverit, ultra pœnas canonicas declaretur infamis, ac exclusus quolibet Nobilium conventu. Dabat Pragæ 13 Oct. 1359. Indictione duodecima.

§. XL.

*Continuatur Petri Thomæ legatio.*

Sup. §. 28.  
Vitæ c. 5 ap.  
Boll. 29.  
Jan. 10. 2.  
p. 1000.

Episcopum Pactensem Petrum Thomam Papæ Nuncium Constantinopolim primo, deinde in castra imperatoria delatum ibi magno exceptit honore Joannes Palæologus; & sumptus ei liberaliter suppeditavit: sed ad Papæ litteras tam cito non respondit rebus bellicis occupatus. Interim se Patriarchæ Græco, nempe Callisto Ecclesiarum concordiae inimico alium suffici curaturum pollicitus, e Nuncii manu divinam accepit dâpem. Postea Constantinopolim reversus Papæ scripsit hunc in modum: Ecclesiam nostram